

bus, & militum non magno numero Ravenna profectum  
 Senatus eo mittendos censuit. Ii Ramberto duce usi, val-  
 lemque ingressi, castellis hostium quatuor captis, aliud ca-  
 stellum, quod erat communius, tormentis levioribus ador-  
 ti, Cyriacum præfectum virum fortem cum militibus sex-  
 centis egressum prælio commisso in fugam conjecterunt:  
**Turcam** centurionem cum plerisque occiderunt, castellum-  
 que ceperunt. neque tamen is exercitus propter nives im-  
 peditaque itinera ulli præterea utui reipublicæ fuit. **Gradi-**  
**onicus** etiam adversa valetudine implicitus, Ravennam,  
 deinde ad urbem rediit.

Anno autem insequente vix inito, ex Caroli Ursini tur-  
 ma complures, qui nondum in hyberna convenerant,  
 sunt cum castello, in quo erant, capti: captus etiam a  
**Gaspone** Severinate legati scriba Marcelli, ex Ubaldi fi-  
 nibus cum stipendio & commeatu & militibus quatercen-  
 tis, **Græcis** equitibus ducentis, Bibienam se se conferens;  
 in quos quidem Severinas difficillimis in jugis de superio-  
 re loco impetum fecerat. pauloque post cum equites cir-  
 citer quingenti a Guido Ubaldo in ejus fines propter  
 commeatus inopiam missi per angusta loca iter facerent,  
 ab hostibus intercepti sunt, magnumque iis detrimentum  
 est illatum: quorum plerique fuga capta itinerum ignora-  
 tione in manus hostium montanorum hominum pervene-  
 runt. **H**is acceptis incommodis, Senatus Nicolaum Ur-  
 sinum paulo ante ab se stipendio auctum, cum equitibus  
 gravioris leviorisque armaturæ ostingentis, militibus quo  
 contrahi & conscribi possent, commeatu, quem oporteat,  
 Bibienam submittendum Ubaldi auxilio censuit. Ejus  
 quoque uxor per se se & milites, & commeatus, quos  
 ad virum mitteret, comparavit: sed is valetudine tenta-  
 tus, ab hostium ducibus cum peteret, uti medico ad se  
 venienti iter darent, nihil impetravit: sibi autem paulo  
 post morbo ingravescente domum redire cupienti, uti da-  
 rent, impetravit: itaque cum paucis suum in regnum dis-  
 cessit.

Ad hæc intentis Patribus cum nunciis esset crebriori- 1498